Quelle: http://manuscripta.at/?ID=505
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

137

do compassionem. gratias agendo. deuotionem. clamando po-
testatem suam intimauit. Compassio patrem flexit. deuotio
impetrauit. potestas imperauit. Compassione homo. deuotione
pius. potestate innotuit deus. Et exiit qui erat mortuus.
ligatus manus et pedes institis. et facies eius sudario erat
ligata. Exiit per confessionem. qui erat mortuus per peccati
perpetrationem. ligatus manus defectionem uirium. et pedes in-
opia boni desiderii et sancte cogitationis. et facies eius
sudario ligata erat operatio scilicet uite mollicie et
dissolutione inuoluta. Per pedes quibus tenetur corpus anime
cogitationes et affectiones. quibus mouetur intelligimus et
cognoscimus. secundum. ab occursu faciei cognoscitur sensatus.
opera enim quibus innotescimus. ut a fructibus eorum cognoscetis eos. Pe-
des. manus. et faciem. ligata sunt. in quo morantur cogitationes
noxie. affectiones impure. et qui mollis et dissolutus
est in opere suo. et qui lucem odit. quoniam male agit. Sed dum
exiit. solutus. quia dum confitetur absoluitur. Resuscitatio con-
fessionis diuini muneris est. absolutio remissionis iu-
ri cedit est discipulorum per eum qui dixit ad eos. Quecumque solue-
ritis s. t. e. s. et in celis. Et in hoc loco soluite eum et sinite
abire. Abiit solutus pedes. cum anima sitit ad deum uiuum fon-
tem. et cogitatio eius apud altissimum. Manus qui neutra cap-
tus fortuna. et in prosperis continens. et in aduersis deprehen-
ditur patiens. Faciem. est actio et uita. feruore uirtutis
expedita. nec digna risu sed uisu. specie sua et pulchritudi-
ne munda relucet ad glorificandum patrem qui in celis est.

Explicit sermones domni Odonis abbatis morimundensis.

Exteriorem. et interiorem *Sermo eiusdem de uerbis apostoli.*
hominem esse apostolo docente didicimus. illumque corrumpi
hunc renouari de die in diem. secundum imaginem eius qui
creauit eum. Exteriorem corpus intelligimus. non quidem exanime.
sed adiuncta quadam uita sua. que uiget sensibus

[Marginal note: manus uires animi exponit robur insinuat. facies qua cognoscimur]